

non habet. Et quomodo ipsi excludunt quos sequuntur, Poëtas?

DEUM NIHIL PRAETERIRE, ET SCRIPTURARUM TESTIMONIIS, ET SOLIS
COMPROBATUR EXEMPLO: QUI LICET CREATURA SIT, TAMEN VEL
LUMINE, VEL CALORE CUNCTA PENETRAT.

Sequitur illa responsio, utrum Deum, si operis sui cura non praeterierit, praetereat scientia. Ergo qui plantavit aurem, non audit? qui finxit oculum, non videt, non considerat? Non praeteriit haec vana opinio sanctos Prophetas. Denique David inducit eos loquentes, quos superbia inflatos asserit. Quid enim tam superbum, quam cum ipsi sub peccato sint, alios indigne ferant peccatores vivere, dicentes: Usquequo peccatores, Domine, usquequo peccatores gloriabuntur? Et infra: Et dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. Quibus respondet Propheta, dicens: Intelligite nunc insipientes in populo, et stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem, non audit? aut qui finxit oculum, non considerat? Qui corripit gentes non arguit, qui docet hominem scientiam? Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt. Qui ea quae vana sunt deprehendit, ea, quae sancta sunt, nescit, et ignorat quod ipse fecit? Potest opus suum ignorare artifex? Homo est, et in opere suo latentia deprehendit, et Deus opus suum nescit? Altius ergo profundum in opere, quam in auctore. Et fecit aliquid quod supra se esset, cujus meritum ignoraret auctor, cujus affectum nesciret arbiter? Haec illis. Caeterum nobis satis est ipsius testimonium, qui ait: Ego sum scrutans corda et renes. Et in evangelio, quod ait Dominus Jesus: Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Sciebat enim, quod cogitarent mala. Denique Evangelista testatur, dicens: Sciebat enim Jesus cogitationes eorum. Horum non poterit satis movere opinio, si facta eorum consideremus. Nolunt supra se esse iudicem,